vt in triangulo ſuperiore P Z S factum eſt, per quemuis ex tribus modis ſupraſcriptis quære illius angulos, & inuenies contra latus 47, angulum 42. 29′ 59″: & contra latus 34, angulum 31. 6′. 5″. & contra latus 69 (quod pro 111 poſuimus) reperies angulum 120. 24′. 49″. Ideo in triangulo oblato Q R T, pro latere R T. ſubtendente angulum Q 47, pone 42. 29′. 59″ Et pro latere Q R ſubtendente angulum T. 34, pone 31. 6′. 5″. verùm pro latere Q T ſubtendente angulum R 111, pone 59. 35′ 11″. quæ ſunt reliquum graduum 120. 24′. 49″. ad ſemi-circulum reliquum, ſcilicet 69 Et ita ex angulis per conuerſionem acquires latera.

ADMONITIO.

EX hac laterum per angulos datos inuentione tres variæ ſoluuntur huius, & cuiuſcunque trianguli quæſtiones. Vt in triangulo P Z S. Ex datis, hora diei, plaga ſolis, & angulo ſitus vel poſitionis ſolis, hæc præcedens ſatisfacit quæſtioni, qua vel primò eleuatio poli, vel ſecundò altitudo ſolis, vel tertiò declinatio ſolis quæratur. Ex octaua itaque ſect. præcedentis cap. 5. & ſeptima ac duodecima huius, ſexaginta habes variarum quæſtionum ſolutiones, quæ in quodque triangulum cadunt. Nec his plures ex multiplici trium quarumlibet partium compoſitione oriri poſſunt variationes, Perfectam igitur habes, & abſolutam triangulorum tam Sphæricorum, quam planorum doctrinam.

CONCLVSIO.

SAtis ergo iam oſtenſum eſt quod ſint, quid ſint, & cuius vſus ſint Logarithmi: Eorum enim beneficio abſque multiplicationis, diuiſionis, aut radicum extractionis moleſtia, omnis Geometricæ quæſtionis ſolutionem logiſticam promptiſſimè exhiberi, tum apodeicticè demonſtrauimus, tum exemplis vtriuſque Trigonometriæ docuimus. Promiſſum itaque mirificum Logarithmorum canonem habetis, eiuſque ampliſſimum vſum: quæ ſi vobis eruditioribus grata fore ex reſcriptis veſtris intellexero, animus mihi addetur, ad tabulæ condendæ methodum in lucem etiam proferendam. Interim hoc breui opuſculo fruamini, Deoque opifici ſummo, omniumque operum bonorum opitulatori laudem ſummam & gloriam tribuite.

SE

SEQVITVR

TABVLA

CANONIS LOGARITHMORVM ſeu ARITHMETICARVM SVPPVTATIONVM.

S'enſuit l'Indice du Canon des Logarithmes.

A SCAVOIR,

La Table de l'admirable inuention pour promptement & facilement *abreger* les *ſupputations d'Arithmetique* auec ſon vſage, en l'vne & l'autre *Trigonometrie*, & auſſi en toute *Logiſtique Mathematique*.

LVGDVNI,
Apud BARTHOL. VINCENTIVM.

Cum priuilegio Cæſareo & Galliarum Regis.